

Ephraem Syrum, qui in suo Testamento ait: *Si quis fallacibus argumentis ausus fuerit sub Altari me collocare. SUPERNUM ac COELESTE ALTARE talis numquam videat.* Dicuntur autem datæ singule Stole Martyribus, quia *Animabus* tantummodo illorum datæ; nam & in Resurrectione Vitæ altera etiam Stola Corpori dabitur, quo nempe tempore totius Hominis felicitas complebitur beatitudine perfecta.

Sed quid ultra inquisitione fatigamur? Habemus Johannem ipsum dilucide nobis nuntiantem, quod investigamus. Pergit ille dicere in subsequenti cap. VII. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus & Tribubus & Populis (ergo de Animabus hominum heic agitur) STANTES ANTE THRONUM, ET IN CONSPECTU AGNI, amicti STOLIS ALBIS.* Animæ erant ante Thronum, quo nomine sine ulla dubitatione significatur beatissima Sedes Dei Patris in Cœlesti Gloria. Si erant in conspectu Agni, qui ad dexteram Patris sedet: manifestum est, illas tum in Cœlesti Regno fuisse investas, tum Dei visione frui. Atque hinc simul intelligis, quid Stola Alba significat, videlicet *Gloriam*, qua Sancti post mortem donantur. Neque minus luculenta sunt, quæ subdit infra S. Apostolus, inquit: *Hi qui amicti sunt Stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt Stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo SUNT ANTE THRONUM DEI, & seruiunt ei die & nocte IN TEMPLO EJUS.* Quæ nuper aiebam de Templo Cœlesti, confirmata heic habemus. Porro, quisquis narrationem Johannis rite perpendet, illico intelliget, hæc ab eo referri, non ad postremi Judicii diem, sed quidem ad tempora intermedia. Et quando quidem hæc ille vidit in Cœlo, atque Animæ illæ stare dicuntur ante Thronum Dei: nonne vim facies sacris Literis, si secus interpretari velis, quam de Cœlesti Gloria, Sanctorum Animabus jam conlata, & demum in Resurrectione Corporum perficienda? Matth. v. 34. monet divinus Magister, ne juremus, neque per Cœlum, quia *THRONUS DEI est.* Sunt & alia Scripturarum loca, quæ dubitare nos non sinunt, quid per Thronus Dei significetur. Referri hæc etiam possunt, quæ idem S. Jo: cap. XIV. 1. Apocalypf. se vidisse ait, Agnum nempe, idest Jesum, stantem supra Montem Sion: quo nomine nemo, qui recte sapiat, patet designari materiale Templum ac Montem Hierosolymitanum, sed quidem Hierusalem Cœlestem. Nam centum quadraginta quatuor millia, qui cum eo comitabantur, cantabant ANTE SEDEM, & ante quatuor Animalia, & Seniores. Erant autem uti e præcedentibus didicimus, tam Sedes, quam Animalia & Seniores in Cœlo. De illis verum quadraginta quatuor millibus dicitur: *Emi sunt de Terra, & translati ad Cœlestem Sion. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit, (Ita & Paulus cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. Salvator etiam ad paradans mansiones Discipulis suis abiturum se ait, uti ubi sum ego, & vos sitis.)* Pergit dicere S. Jo: *Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim SUNT ANTE THRONUM DEI.*